In nomine domini amen. Et si propheta testante omnis spiritus laudare dominum teneatur, specialiter tamen alma mater ecclesia cuius fundamenta in montibus
sanctis consistunt filios suos et nutrit et exaltat scilicet ydoneos ministros beneficiis premiando et diversis extollendo honoribus, ut deum a quo bona cuncta fide
liberaliter largiuntur exemplo eiusdem prophete pro modulo condicionis humane laudum preconiis in omni tempore benedicant et glorificent devotis mentibus iugiter vivantes.
Nos igitur Johannes divina et apostolice sedis providencia episcopus ecclesie Cracoviensis una cum .. capitulo nostro nonnullis admodum arduis negociis eiusdem ecclesie prepediti residenciam personalem
facere et officia divina exequi et implere sicut tenemur non valentes ut saltem per alios vices nostras in premissis suppleamus ad evitandam divine maiestatis offensam et eius graciam
ipso largiente promerendam, cupientes eciam tempore nostro in ecclesia nostra kathedrali divinum cultum non minui sed augeri, cum fratribus nostris ordinamus et facimus inantea tenendum ac
inviolabiliter observandum ut omnes et singuli vicarii quorumcumque canonicorum ecclesie predicte omnibus horis canonicis nocturnis pariter ac diurnis infirmitatis causa vel alio legitimo
impedimento cessante cunctis diebus cum effectu intersint psallentes et cantantes. Et nichilominus quia sancta et salubris est cogitacio pro defunctis exorare ut a peccatorum vinculis absol-
vantur maxime pro remediis animarum domini Boleslai ducis qui ecclesiam nostram preclaris privilegiis dotavit et domini Wladislai Regis cuius corpus in eadem ecclesia requiescit ac
omnium fidelium salute, vigilias Novem leccionum et missam defunctorum cottidie dominicis et duplicium festivitatum diebus dumtaxat exceptis dicere et cantare devote sine inter-
missione et negligencia qualibet teneantur. Verumtamen pium et racioni consonum fore dinoscitur ut ad spiritualia onera deputati seu electi preter divinam mercedem quam
inde merito debent sperare eciam temporalis subsidii premia consequantur. Totum offertorium seu oblaciones quod vel que ad honorem dei et reverenciam beati Stanislai martiris
gloriosi super caput eius in duabus festivitatibus scilicet Natalis et Translacionis ipsius a vigilia cuiuslibet usque ad octavas inclusive computando et id quod super tumbam seu sepul-
chrum eiusdem sancti necnon super reliquias et altaria aliorum sanctorum in eadem ecclesia quandocumque et quibuscumque diebus ponentur seu offerentur et in quibuscumque rebus consistant cera et lu-
minaribus pro officio divino solummodo exceptis, decimas quoque in Nouomote duodecim marcarum grossorum et amplius valentes de mensa nostra episcopali atque decem marcas in Zuppa Salis
singulis annis ad comunitatem .. capituli nostri pertinentes eisdem vicariis et eorum successoribus pro distribucionibus cottidianis faciendis graciose damus et liberaliter assignamus per eosdem de cetero
perpetuis temporibus possidendas et tenendas ac inter se ut sequitur iuste et equaliter dividendas. Ut autem predicta divisio sine dolo et fraude fiat inter ipsos volumus et mandamus quod prefati vicarii
quolibet anno de collegio et societate sua duos divisores fidedignos eligant qui iuramentum quod .. procuratoribus .. capituli prestare teneantur omnia et singula premissa et alia ad eorum
comunitatem spectancia colligentes servent et custodiant diligenter, quolibet die sibi et sociis in omnibus horis canonicis et presertim matutinis ac chorali et defunctorum missis
vesperis quoque et vigiliis existentibus prout sufficere poterunt fideliter dividentes. Et nichilominus ut non laborantes non manducent et ceteri ad divina officia eo ferventius animentur quo
viderint negligentes et pigros a participacione distribucionum predictarum excludi, divisoribus .. qui pro tempore fuerint constitutis precipimus in virtute obediencie et sub pena excommunicacionis mandantes
ne illi vel illis vicariis qui eciam unam ex predictis quinque horis matutinas videlicet ac chorale et defunctorum missas vesperas quoque et vigilias neglexerint et non interfuerint eisdem se sine nostra
vel .. decani licencia petita et obtenta absque racionabili causa absentando porcione distribucionum [illegible]
negligencia absentancium vicariorum consciam .. decani qui pro tempore fuerit onerantes. Alioquin contrarium facientes sentenciam excommunicacionis maioris ipso facto se noverint incursuros et non nisi per nos
vel aliquem alium auctoritate nostra tantummodo absolvendos. In cuius rei testimonium et evidenciam maiorem nostrum et .. capituli nostri predicti sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum
Cracovie in capitulo generali in crastino beati Jeronimi anno domini M° CCC° XXX° sexto. Presentibus honorabilibus viris fratribus nostris Bozantha decano, Jaroslao archidiacono,
Zbigneo preposito, Petro scolastico, magistro Martino cantore, Jacobo custode Cracoviensibus, Yvone preposito Gneznensi, Clemente custode Wratislaviensi, Nassanone Wisliciensi,
Prandota Scarbimiriensi, Petro sancti Floriani ecclesiarum prepositis, Ottone Sandomiriensi et magistro Petro Wisliciensi cantoribus, multisque aliis fidedignis canonicis dicte
ecclesie Cracoviensis.

Offertoria

Decimas in Nouomote 12 Marcas gross. et amplius valen.
10 Marcas in Zuppa Vielicien.

1336

Oblata iudicialiter die 18 Julij A. D. 1629 ...

Samuel Ceklin ...
... Celsiss. ...

Super X Marcas in Wieliczka
... sup. ... ...
Chato ...

1 1 2 3 6

Privilegium Vicariorum sup. distributione cottidiana

333

Privilegium Ill[mi] Joannis Groti Epi Crac. Super Donationem Offertoriorum in Eccl[es]ia Cathedrali Crac. Communitati Vicariorum eiusdem. Et Super Decimas in Novomonte 12 Marcas grossorum et amplius [illegible] ... Et Super Decem Marcas in Zuppis Salis Velicien. De Data effectu Cracoviae in Capto Gnali in Crastino B. Hieronimi Anno Dni 1330

Revisum et Connotatum A° D 1646 Die 22 Sept

10. Marcae sup. ...

1336

A1781

Die Mercurij 21 Martij

In Officio Episcopali productum
et
Actis ingrossatum

C/2 ad 4m Conig. 27m Jurium

108

N 73
1.

1802

C.K.17.-14